GEORGII PHILIPPI STENGERI J.V.D. APUD JENENSES CLARISSIMI OPERA OMNIA, SIVE DISSERTATIO...

Jacob Carl Spener, Georg Philipp Stenger, Valenti Gonzaga

L. B. S.

AVCTOR.

VIx dissertationem inauguralem Georgii Philippi Stengeri J. V. Doct. de remissione feloniæ tacita Jenæ Anno MDCCXXXI. habitam evolvere inceperam; cum e vestigio magnam quandam cum illa, quæ sub præsidio Car. Jac. Speneri VVittembergæ 1719. de eodem argumento habita fuit, convenientiam in legibus, auctoribus sententiisque allegatis animadverterem. Collatione usus sum & legendo Stengerum Spenerum relegendoque Spenerum Stengerum legere mihi videbar. Cumque præterea observarem, quod neque Stengerus Speneri, neque Spenerus Stengeri, ne unico quidem verbo, in suis dissertationibus mentionem facerent; in eam adductus sum opinionem, ut crederem, quod unus ex his duobus autoribus a crimine abesse plagii litterarii nequeat. Ut igitur cognoscere quilibet posset, quantum sit Spenero & quantum Stengero ex materia hac feudali vindicandum; collationem utriusque dissertationis, & Stengerianæ recensionem, instituendam duxi. Antea vero, quam rem ipsam aggredior, faciendum mihi puto, ut rationem, ob quam non omnes §vos recenseam, ad-

jungam: nempe enim eam ob causam id ago, ne in controversias, quæ ad rem non pertinent, incideremus. Quippe jam nihil aliud in animo habeo, nisi, ut eas leges doctorumque sententias eaque argumenta, quæ Stengerus ex Speneri dissertatione exscripsit, conferam, & quæ ex iis opinionibus, quas Spenerus aut ut communes aut ut proprias refert, in quolibet §vo dissertationis Stengerianæ recoctæ sunt, in marginalibus hujus recensionis annotem.

SECTIO I.

Dissertationis Stengerianæ.

Stengeriana hujus textus explicatio communi opinioni favet.

§. 2.

JUris feud. Alem. Cap. 60. §. 20. una cum versione Schilteriana hic adduxit Stengerus verbis expressis uti Spenerus cit. diss. Cap. I. §. 1. (a).

Hi sunt Textus communi opinioni oblique faventes, testibus Spenero Cap. I. §. 3. & Stengero in marginalibus hujus §. suæ diss.

§. 3.

Cap. 80. §. 2. ut & cap. 115. §. 6. 7. nec non cap. 83. Juris feud. Alem. hic allegatum, apud Spenerum iisdem verbis expressis videre licet cap. I. §. 3. 4. His Juris textibus Stengerus demonstrationem tacitæ feloniæ remissionis superstruere non intendit, ut ipse hac §vo in fine asserit; ergo in hoc §vo nec quicquam egit.

Hæc argumenta sunt

§. 5.

Varia Juris & doctorum argumenta hic adducuntur, quibus tacita feloniæ remissio asseritur, ut lex. fin. ff. de eo quod certo loco, l. 7. de lege commissoria, l. 4. Cod. de pactis inter emt. & vend. Easdem leges ex rationibus iisdem ad-

adductas vide apud Spenerum. Cap. 2. §. 3. not. (z, x, y,). Argumentum, quod præterea Stengerus sumit ab emphyteusi, adducit idem Spenerus Cap. 2. §. 4. In fine hujus §vi Stengeriani vides hos autores allegatos: Rosenthalium Jur. feud. cap. 6. concl. 61. & cap. 10. concl. 39. 40. Vultejum de feudis lib. 1. cap. 11. num. 63. seq. Strykium in dissertatione de culpa Vasallo remissa, Cap. 3. n. 15. seq. Quos auctores & loca citata eodem ordine reperies in Spenero Cap. 2. §. 2. (t).

communia doctorum, teste Spenero, Cap. 2. §. 2. 3.

§. 7.

Modos tacitæ remissionis hic investigare Stengerus contendit, eorumque sententiam, qui ex facto quolibet & patientia domini remissionem colligunt, reprobat. Hoc idem egit Spenerus, uti videre licet ex Cap. 2. §. 2.

Opinio partim communis, partim Speneriana.

§. 8.

In hoc §vo asseritur, quod, felonia commissa, feudum aut ipso jure devolvatur ad dominum & rei vindicatione petatur, aut condictione causa data, causa non secuta repetatur; quod idem sentit Spenerus † Cap. 3. §. 5. & cap. 1. §. 4.

Opinio Speneriana, l. hic citatis, †

§. 9.

De ultione injuriæ in se & feudali tractationem distinctam vide etiam apud Spenerum † Cap. 1. §. 5.

Opinio Speneriana, l. hoc § cit. †

§. 10.

Per novam investituram, feloniam tacite remitti, Stengerus statuit & se fundat arg. L. 7. ff. de L. commiss. Hanc eandem sententiam, tanquam communem, Spenerus refert † Cap. 2. §. 3. & eandem legem 7. ff. de lege commiss. allegat eodem §. n. (x).

Opinio communis, vid. Spener. l. hoc §. cit. †

§. 11.

Argumentum, a servitiorum præstatione ad tacitam feloniæ remissionem hic ductum, esse communem doctorum opinionem ex allegatione Strykii l. c. n. 26. aliorumque doctorum patet; quam communem opinionem una cum

Opinio communis, vid. Spenerum l. h. c.

 ratio-

rationibus enarrat Spener. Cap. 2. §. 4. & præterea citat eundem locum dissertationis Stryckianæ, eodem §vo (e).

§. 12.

Opinio communis, vid. Spener. l h. §vo cit. †

A compellatione fidelis, Vasalli in hoc §vo concluditur ad tacitam feloniæ remissionem; quæ iterum communis est doctorum opinio, cui Stryckius, Rosenthalius aliique adstipulantur, referente Spenero † cap. 2. §. 5.

§. 13.

Communis opinio, vide Spenerum cap. 2. §. 5.

Hic deducitur argumentum a consensu in oppignorationem vel alienationem ad tacitam feloniæ remissionem, quæ etiam communis doctorum est opinio, teste Spenero cap. 2. §. 5. Præterea Stengerus adducit Strykii Diss. l. c. n. 31. 32. & l. 4. §. 1. ff. quibus modis pignus solvitur, l. 11. ff. de reg. jur. eadem loca & leges in Spenero cap. 2. §. 5. (h), cap. 3. §. 7. (y), cap. 1. §. 8. (z) reperio.

Opinio communis teste Spenero, l. h. §. cit. †

§. 14.

Modum tacite remittendi feloniam per præscriptionem, quem hic Stengerus adducit, eadem ratione recenset, tanquam communem opinionem, Spenerus † cap. 2. §. 6. (l).

Argumenta legum communia teste Spener. l. h. § cit †

§. 16.

Argumenta & leges ex jure civili hic allatas jam supra §. 5. recensuimus; conjungas præterea Spenerum † cap. 1. §. 12. (o).

Opinio doctorum, in hoc §vo allegatorum.

§. 20.

Arripit hic Stengerus, Vulteji, Strykii aliorumque doctorum sententiam, qui statuunt, protestationem in investitura interpositam esse facto contrariam; eandem sententiam tuetur Spener. cap. 2. §. 8. Receptam doctorum opinionem recenset Stenger. ex Menochio Cons. 304. n. 60. ex Vultejo de feudis lib. 1. cap. 11. n. 65. Ex Stryck. cit. Diss. cap. 3. n. 23. 24. Quæ loca eadem Spenerus recenset cap. 2. § 8. (r, s).

§. 21

§. 21.

Perillustrem de Berger. in resol. Lauterb. ad lib. 6. t. 2. in fine, & Hornium in Juris prud. feud. cap. 23. §. 24. qui hic sunt allegati, ob eandem rationem citavit Spener. cap. 2. §. 8. (r). Recepta Sententia hic impugnatur cum Spenero, quem vid. c. 2. §. 8.

SECTIO II.

Dissertationis Stengerianæ.

Hac communes opiniones refellere Dominus Doctor intendit, sed actum agit; Siquidem hoc jam Spenerus capite 3. præstitit, unde etiam evenit, quod argumenta Stengeriana sint Speneriana.

§. 2.

Rationem Vasallo favorabilem, qua Stryk. cit. Diss. num. 22. utitur, refutat hic Stengerus. Conferas Spenerum, qui cap. 2. §. 4. eandem rationem enarrat & lit. (c) eundem locum Strykii citat. Opinio Doctorum hic impugnatur cum Spener cap. 3. §. 4.

§. 3.

In hoc §vo sententiam eorum, qui statuunt ex patientia, taciturnitate & longa possessione remissionem feloniæ colligi posse, refutat Stengerus; idem egit Spenerus † cap. 3. §. 9. porro Stengerus allegat Vultejum de feudis lib. 1. cap. 11. n. 63. & dicit, quod sine lege & auctoritate fere sola Deciani Conf. 23. n. 51. & seq. loquatur; Spenerus idem judicium Cap. 2. §. 6. fert & eadem loca auctorum not. (k) citat. Opinio Speneriana l. h. §vo cit. †

§. 4.

In hoc §. sententiæ doctorum & leges allegantur sequentes: Rosenthal. cap. 10. concl. 40. l. 1. ff. de priv. delictis, l. 7. cod. de revocanda donatione. 2. feud, 24. §. fin. Loca a Spenero allegata & opinio Speneriana verb. loc. hic cit.

verb. ultionem, Hartmann. Pistoris, ubi ait: rationem illam juris, plusquam manifestissimi esse. Jur. feud. Alem. cap. 83. Vultejus l. c. n. 67. & 68 nec non Struvius cap. 15. Thes. 12. n. 3. 4. &c. eadem loca doctorum & eædem leges sunt in Spenero cap. 2. §. 7. not. (n, o, p) & cap. 3. §. 5. (x, 2.)

§. 5.

Opinio Speneriana, l. h. §vo, cit. † Argumenta hic contra sententias & leges §vi antecedentis proferuntur & sigillatim ostenditur, quod actiones feloniæ & ad heredes Domini & contra heredes Vasalli transeant, iisdem de rebus tractat Spenerus † cap. 3. §. 10. & 11.

§. 6.

Opinio Speneriana, l. h. §vo, cit. † Hoc paragrapho Stengerus iterum Rosenthalium & Vultejum l. c. producit & quod argumentum l. 13. §. fin. ff. ad l. Jul. de adult. & §. fin. inst. de injur. ad familiaritatem Domini cum Vasallo & delicti feudalis remissionem produci nequeat, ostendit; in eo iterum convenit cum Spenero, † cap. 3. §. 5. argumenta legum vide Speneri capite 2. §. 5. (f).

§. 7.

Opinio Speneriana, l. h § cit. † Sententiam Schraderi Conf. 1. n. 161., quam Stengerus hoc §vo refutat. adducit Spenerus † cap. 2. §. 3. (a).

§. 8.

Opinio Speneriana, cap. 3. §. 8. In hoc paragrapho allegatum vides Strykium l. c. n. 48. Mascard. concl. 712. n. 61. Klok Vol. 1. Conf. 8. n. 2. & auth. ad hæc cod. de fide instrumentorum; vis eadem loca eodem ordine ob easdem causas conjuncta videre, evolve Spenerum cap. 2. §. 5. (i).

SE-

SECTIO III.
Dissertationis Stengerianæ.

§. 2.

Repetit hic Stengerus leges juris feudalis Alem. Sectione I. §. 2. 3. adductas, quas vide ; His adjungit Sententiam Oberti de Orto. 2. f. 1. quam sententiam etiam adducit iisdem verbis expressis Spener. Cap. 1. §. 7.

Loca Speneriana & opinio Sect. 1. §. 2. conformis.

§. 3.

Hos textus juris feud. Alem. scil. Cap. 16. §. 3. Cap. 72. §. 2. 3. Cap. 60. §. 2. & juris feud. Sax. Cap. 24. quos Stengerus allegat, vide omnes apud Spenerum Cap. 1. §. 1. 2. (a) (b).

Explicatio textuum feudalium communi opinioni conformis Spen. c. 2. §. 6

§. 4.

Hujus §vi textus 2. f. 24. §. 2. jur. feud. Alem. Cap. 108. §. 4. & 2. f. 55. vide apud Spenerum Cap. 1. §. 6. (r) & §. 2. §. 10. (g).

Communi opinioni conformis explicatio.

§. 5.

Rationes juris, quibus hic §vus affluit, ex 2. f. 28. §. fin. 2. f. 38. 2. feud. 6. Rosenthal. Cap. 10. concl. 15. n. 4. 1. f. 10. 2. feud. 24. vers. denique. 2. feud. 44. allatas reperire licet ad unum omnes in Spenero † Cap. 1. §. 6. lit. (n, o, p) & eodem cap. §. 5. (l).

Explicationes communi opinioni conformes Spener. l. h. §vo citatis †

§. 6.

Regulas & rationes juris hic excitatas scil. l. 11. l. 21. l. 195. ff. de Regulis jur. quære in Spenero. † Cap. 1. §. 8. (z, a, b).

Explicationes textuum communi opinioni conformes, Spener. l. h. §vo cit. †

Explicatio communi opinioni conformis, Spener.cap. 1. §. 11.

§. 7.

Cap. 2. x. de feudis, & juris publici rationes in hoc §. recensitas citat Spener. cap. 1. §. 10. (h) §. 11.

Communes opiniones, Spenero teste locis hoc §vo citat †

§. 8. 9. 10. 11.

In his §vis nihil præcipui Stengerus in lucem profert. Si quidem sunt communes opiniones, quas omnes enarrat Spener † Cap. 2. §. 3. 4. 5.

§. 12.

Communis opinio teste Spener. cap. 2. §. 6.

Legg. 2. f. 40. 2. f. 55. 2. feud. 24. § deniq. 2. feud. 44. hic conscriptas expressis verbis adducit Spener. cap. 1. §. 5. (k, l.).

§. 13.

Opinio Spenero conformis quem vide cap. 2. §. 8.

Hæc opinio de protestatione effectum remissionis non impediente est opinio Strykii, ut Spenerus refert cap. 3. §. 5. (n) & cap. 2. §. 8.

§. 14.

Opinio communi conformis & contra Spenerum, cujus defensio reservatur.

Hic ultimus §vus contra Speneri caput quartum suæ Diss., ubi sobriam doctrinam de tacita feloniæ remissione proponit, directus est. Sed ante mihi non placet, ut defensionem Speneri in me suscipiam, quam sese defendat Dnus Doctor contra hoc, quod objici potest, crimen exscriptionis; quod nomine plagii insigniri potest, dum nec unico verbo hujus Spenerianæ dissertationis meminerit.

Respon-

Respondebit fortasse: refutavi Spenerum non exscripsi & ex modestia non illum nominavi. Fingamus, Domine Doctor, quod Spenerum iis locis, quibus ab ejus opinione recedis & communem amplecteris, (quo sensu tua sumenda est refutatio) nominare ex modestia nolueris, cur vero non citasti eum iis locis, ubi ejus sententiam amplecteris, cum tamen alios doctores, quorum opinionem tueris, iterum iterumque citas? Demus quoque, quod Spenerum refutaveris; & tum refutasti solum ipsum respectu nonnullarum opinionum propriarum, quæ communibus contrariæ, sed eo ipso, quo eum refutasti, communes opiniones defendisti; has vero communes opiniones Spenerus adductis legibus & argumentis Doctorum iisdem, quibus tu uteris, proponit, ergo Spenerum exscripsisti. Tali modo quilibet, qui etiam juris scientia nudus est, juris dissertationes compilare & tanquam suas venditare potest. Quid diceret Dnus Doctor, si quis vestigia ejus premens ipsius dissertationem eodem vellet modo refutare, nempe enim si defenderet, etiam in omnibus, eam, quæ contra Dnum Doctorem pugnaret, opinionem; sed leges, opiniones Doctorum & argumenta communia in dissertatione ipsius producta contra ipsum reproduceret; nonne exclamaret; plagiarius est! plagiarius est! ergo eadem sententia Dnus Doctor est condemnandus. Sed quæret aliquis, quid tandem Stengerus de suo addidit? Respondeo: ex marginalibus, quæ cuique §vo hujus recensionis adjeci, patet, quod explicationes & opiniones, quas defendit, sint aut communes aut Spenerianæ. Cum autem Spenerus & communes opiniones & proprias, additis legibus, sententiis doctorum

 & ra-

& rationibus iisdem, quibus dissertatio Stengeriana gaudet, proponit; sequitur, ut nec quicquam Dno. Doctori, ut proprium, tribui possit & vindicari, præter verba vaniloqua.

FINIS.